

gestorum veteris Testamenti. Vidimus enim hactenus Josephum a fratribus venditum; vidimus Samsonem ligatum a Philisthæis; vidimus Davidem illum coram Achis; vidimus Isaacum fascie lignorum onustum; vidimus arietem hærentem inter vepres; vidimus serpentem æneum in pertica suspensum; vidimus Josephum medium inter pincernam et pistorem, etc. Nunc vidimus Noen vino inebriatum et a filio Cham irrisum. Quod enim, Gen. IX. legimus Noen de vinea quam plantaverat, fuisse inebriatum et in ebrietate nudatum et in nuditate a Cham irrisum, a Sem vero et Japheth pallio reverenter tectum: id impletum est in Christo, quando in cruce pendens irrisus est a Judæis perfidis suis filiis. Ipse enim est verus Noe et consolator generis humani, qui de Ecclesiæ vinea, quam plantaverat, amore inebriatus et nudatus est in cruce non modo vestibus, sed et carne sua. Hunc igitur impius Cham, id est, populus Judæorum cum latrone blasphemante irrisit et exhibavit, quem contra populus christianus cum latrone penitente pallio venerationis tegit et honorat. Quæ igitur circa hoc pensanda veniunt, nunc inspiciamus.

I. *Sedentes servabant eum.* Primo, ad litteram, ne quis eum de cruce deponeret antequam esset mortuus et præses jussisset. Verum præter mentem Judæorum inde clarior facta est Christi resurgentis virtus; non enim possunt dicere, vivum e cruce sublatum fuisse, quem usque dum moreretur, in cruce custodierunt.

Secundo, prophetice significatum est, Christum a gentibus convertendis servandum, a Judæis deserendum fore. Milites enim, qui servabant eum, ethnici fuerunt. Quem ergo deseruerunt Judæi, servarunt gentes.

Tertio, moraliter docemur Christum servare diligenter usque ad mortem nostram, nec permittere ut quis eum nobis auferat, juxta id Apoc. III. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Et Apoc. II. *Esto fidelis usque ad mortem.*

Item Christo patienti assistere et compati; quod ipse non fecerint milites illi, quia Dominum gloriæ non cognoverunt, facere tamen debemus nos, qui eum agnoscimus. Mirabile materni amoris exemplum exhibuit Respha (II. Regum XXI.) uxor Saulis, quæ duobus filiis suis in crucem actis stato super petram cilicio tamdiu assedit, donec pluvia de cælo descenderet super eos, nec permisit eos lacerari interdum ab avibus et noctu a feris, cum contra Michol quinque filiis suis, et ipsis simul crucifixis nequaquam id fecisse legatur. Ita nimirum dum crudelis syna-

goga nequaquam Christo compatitur, compatitur tamen Ecclesia et dolores Christi in se sentit, quemadmodum Respha filiorum suorum singulus, suspiria et lamenta suo etiam in corde sensit acerbissime: sedet item super petram et cilicium castigando corpus suum variis afflictionibus ut Christo patienti similem se exhibeat etiam in corpore; denique non permittit ut Christo ulla inferatur injuria.

II. *Stabat populus spectans* (Christum videlicet crucifixum) ut in eum jacularetur contumeliarum suarum tela, sicut scribit Jeremias, Threnor. III. *Tetendit (synagoga) arcum suum et posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, id est, sagittas; factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Hoc enim loco maxime impletum est, quod prædixerat de Christo Simeon: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur.* Ut enim qui jaculatur, ad scopum intendit; ita populus iste in Christum intendebat, ut eundem conviciorum et sannarum sagittis peteret. Subdit enim mox S. Lucas: *Et deridebant eum principes cum eis.* Idem prædixit David, Ps. XXI. cum ait: *Omnes videntes me deriserunt me.* Solent principes et qui vulgi arguunt vitia, omnium oculis expositi omniumque telis obnoxii esse, quemadmodum Fredericus tertius imperator audiens ab improbis multa in se maledicta jactari, ad proceres conversus dixit: *An nescitis principes quasi signum ad sagittas expositos?* Christus autem ex officio legationis suæ arguebat vitia Judæorum; hinc in illum jacula et tela eorumdem. Aliqui tamen absque dubio aliter Christum intuebantur, nimirum oculo compassionis vel penitentiae, uti latro bonus, centurio et alii. Hi agnosebant Christum esse serpentem illum æneum, sanantem morsus lethiferos, unde illum aspiciabant oculo fidei et compunctionis. Judæi vero cæteri merito et malitia sua execrati, figuram illam in Christo non agnoverunt.

III. *Deridebant eum principes cum eis dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si est Christus Dei electus. Illudabant autem ei et milites dicentes: Si tu es rex Judæorum salvum te fac. Prætereunt item blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reedificas! Salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce.* En tibi filias pharetræ ex improborum ore prognatas. Sed cur tot tantisque probis onerant isti Christum? Primo, dæmonis instinctu, qui cum hucusque vidisset Christum omnibus tormentis superiores, nec ulla ratione potuisse commoveri ad impatientiam vel iram, nunc omnes nervos intendit totumque vene-

rum expuit; siquidem convicia, contumeliæ et risiones acutissima tela sunt. Primo igitur procurat ut omnis generis injuriis Christus impetatur, blasphemis, derisionibus, contumeliis, maledictis impactis, (cujusmodi est illud de templi destructione) exprobratione seu cavillatione præstatorum beneficiorum, ut cum dicunt: *Alios salvos fecit, etc.* provocatione ad desperationem, quando dicunt: *Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult, q. d. stulte in Deo confidit.* Secundo, ut ab omni generis hominibus patiatur, principibus, scribis, Phariseis, populo, prætereuntibus, militibus, latrone. Tertio, ut hoc ei fiat in summa ejus afflictione, adeoque afflictio addatur afflictio, quo animus ejus expugnetur. Sed fortior his omnibus Christus fuit, qui his nihil motus pertulit in cruce cum silentio et patientia. Videre mihi videor S. Job, qui et ipse ut testatur, cap. XVI. quasi signum ad sagittam dæmoni expositus, plurimas primo injurias et damna temporarium honorum pertulit, ad extremum ab uxore gravissime tentatus fuit de desperatione et diffidentia in Deum. Sic enim Christus Dominus, postquam omnibus bonis per immane nefas spoliatus est, ad ultimum a tota dæmonis synagoga, perfida uxore sua dirissimis telis impetitus est, quo vel unum impatientiæ verbum proderet.

Secundo, principum impulsu, quibus placere voluit populus eorumque exemplum imitari. Tam nimirum potens est principum exemplum et favor ad pervertendos subditos; illis enim tibia canentibus, isti mox saltabunt.

Tertio, quia uti Christus dixit, nesciebant quid facerent? Si enim cognovissent Dominum gloriæ, nequaquam subsannassent. Velut igitur phrenetici insaniebant in suum medicum, qui sanabat eos. Et vide miram Judæorum cæcitatem. Illa ipsa verba, quibus, Ps. XXI. (qui totus est de passione Christi) prædictum est, ad illudendum Messiam usurpare non dubitarunt. Ait enim Psalmus: *Speravit in Domino, cripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum, scilicet ut ipse asserit.* Et Judæi hunc ipsum psalmi versiculum intorquent contra Christum: *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum.* Illis igitur prophetae verbis, quibus illuminari et agnoscere Messiam suum debebant, execrati pugnant contra ipsum. Utinam non hoc ipsum facerent Christiani! At vero qui *tantantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis*, nonne hi irrident Christum, qui eum crucifixerunt? Et qui sacramenta execrationibus impiant, nonne pharmaco, quo sanari deberent, Christum ipsum vulnerant?

Sed cur tot tantaque probra in summa afflictione pati voluit Christus? Respondetur primo,

ut ostenderet quantæ curæ ei fuerit salus nostra, ut qui tantis improperiis averti non poterit ab ea procuranda. Quemadmodum præstans molossus cum prædam apprehendit, adeo pertinaciter dentes ei infigit ut eam sibi eripi nulla ratione patiatur, contemnit verbera, spernit objurgationes venatorum: ita Christus Dominus cum prædam generis humani jamjam apprehenderet, tam avide ei inhiabat, imo jam incumbebat, ut diaboli objurgationes, qui per ora Judæorum prædam illi eripere conabatur, minime sentiret. Videmus igitur hic Noen vino amoris ebrium, qui derisionem filii sui nequaquam animadvertit. De hujusmodi ebrio scribit Sapiens, Prov. XXIII. *Eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo et dices: Verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me et ego non sensi.* Annon in cruce Christus ejusmodi nauta fuit in medio tempestatis dormiens cum Jona, nec tempestatem sentiens. Quam profundus amoris sopor, qui ad tantas contumelias, derisiones, sibilos, clamores excuti non potuit!

Secundo, ut lueret in se, quod nobis debebatur, opprobrium sempiternum, simulque nos moneret, quid eventurum sit damnatis, quando hoc evenit Filio Dei. Quis explicare queat confusionem illam, sibilos illos, irrisiones illas, quibus in inferno exhibebuntur reprobi? Dormivit in cruce Dominus velut inebriatus; sed vae improbis, ubi evigilaverit tamquam potens crapulatus a vino, ut dicitur Psal. LXXVII.

Tertio, ad nostram informationem, ut ne deiceremur cum a mundo irridemur, sed potius hoc ipso felices nos reputaremus, ut qui de mundo non simus. Vidit hoc etiam Seneca qui in libro de moribus ait: *Nondum felix es, si non te turba irriserit.* Non est certior via veniendi ad gloriam æternam, quam per iniquam confusionem æquo animo latam. Per hanc viam David recuperavit regnum suum, quando fugiens Absalonem, contumeliis et lapidibus impetitus est a Semei. Adeo enim noluit maledictum puniri, ut videatur potius ejus maledictis quasi delectatus et pastus esse: *Dimittite eum ut maledicat, inquit, juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.* Ita Christo in cruce opprobria fuerunt pro cibo, uti commemorat Jeremias, Thren. cap. III. dicens: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Saturabitur, inquit, quasi cibo gratissimo; unde dicas eum post tam multa opprobria veluti post cibum merito requisisse potum, cum videlicet dixit: *Sitio.* Noverat enim Dominus opprobria illa paritura non tantum sibi sed et generi hu-



iano gloriam ingentem : ideo provocatus ut a mensa illius sui convivii descenderet, renuit. Nos ergo, auditores, cum a mundo deridemur et provocamur ad descensum de cruce patientiæ vel pœnitentiæ, seu blanditiis seu cachinnis, ne illi acquiescamus : sed veluti ad convivium quoddam opiparum sedentes persistamus. *Est enim confusio adducens gloriam*, ut inquit Ecclesiasticus, IV. capite.

§ XXXI. — DE PRIMO VERBO CHRISTI IN CRUCE.

I. Mirum primum verbum : 1. Ratione ordinis. 2. Ratione temporis. 3. Ratione fervoris. 4. Ratione allegationis. 5. Ratione efficacis. — II. Fructus hujus verbi : 1. Quanta Christi charitas. 2. Injuris condonandæ. 3. Excusanda aliorum peccata. 4. Confidendum in Christo. 5. Ante mortem præsertim ignoscendum inimicis.

THEMA.

*Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*  
Luc. XXIII.

Herulis facundiam tantam fuisse scribit Lucianus in dialogis ut oratione sua velut catena homines ad se pertraheret. Propterea veteres pingebant auream catenam linguæ ejus perforatæ insertam et ad aures auditorum pertingentem, teste Pierio, l. LIX. hierogl. eo quod eloquentia sua pertrahere ad se posset hominum multitudinem veluti magnes ferrum. Longe verius hoc dicam de Christo Domino nostro, de quo ipsimet ejus adversarii ad capiendum eum missi, testati sunt : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo*, Joan. VII. ita ut sermonibus Christi caperentur ipsi, qui capere eum debebant. Nimirum ipse est unus et supremus magister noster e cœlo nobis missus, de quo ejusdem Pater cœlestem vocem demisit : *Est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, Matth. XVII. Et licet Christus hanc suæ facundiæ energiam abunde ostenderit vivens, paucissimis sæpe verbis homines ad se pertrahendo, multo tamen magis ostendit moriens, quando videlicet cathedram crucis conscendens, aurea illa septem efficacissimorum verborum catena non homines tantum, sed et ipsa elementa commovit : quemadmodum ipse prædixerat, Joan. XII. *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Traxit enim verbis illis latronem ad pœnitentiam, centurionem ad fidem, spectatores ad compunctionem, ut percutientes pectora sua reverterentur : inferos ut exeuntes de monu-

mentis apparerent : solem et omnia elementa, ut inaudita commotione creatori suo condolerent. Unde S. Leo, ser. VIII. de passione Domini ait : « O admirabilis potentia crucis, o ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini et judicium mundi et potestas est crucifixi ! Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem et contradicentem tibi, confidendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit, Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem Judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminariibus cœli et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum se usui denegaret. » Sic ille. Quoniam igitur ea Christi verba omnium efficacissima fuere et dignissima, quæ ab omnibus hominibus audirentur et in cordis penetralibus reconderebantur, æquum est ut a Christianis præsertim diligentissime examinentur. Solent præclarorum virorum ultima monita arrectis percipi auribus et magni aestimari, memoriæ ac scriptis commendari : quemadmodum Jacob patriarchæ, Moysis, Josue, Davidis, Elisæi, Matathie, etc. quanto æquius id debetur ultimis Christi verbis ? Jacob certe moriturus filiis suis dicebat : *Congregamini et audite filii Jacob, audite Israel patrem vestrum*, Genes. XLIX. Cogitemus igitur id ipsum dicere nobis Christum, omnium nostrum patrem, et audiamus.

I. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Nova et mira prorsus est hæc sententia Christi orantis pro traditoribus et carnificibus suis, ita ut Spiritui sancto visum sit prædicere eam per Isaiam, capite LIII. *Et pro transgressoribus oravit*. Nova autem et mira est primo, ratione ordinis, siquidem prima est. Cum enim e septem verbis alia pertineant ad bonum aliorum, alia ad bonum proprium, una ad bonum commune ; et inter ea quæ ad proximum spectant aliud dirigatur ad amicum, aliud ad propinquos, primam hanc emittit vocem Dominus, ad bonum inimicorum suorum pertinentem. Priusquam mœstam consoletur matrem, priusquam propriam prodat sitim, priusquam animam suam Deo commendat, primam curam gerit ut pro inimicis oret et sic charitas ejus eluceat, quæ non quaerit quæ sua sunt, apostolo teste, II. Cor. III. Videat nunc quis, annon possemus dicere Christo, quod Joab dixit Davidi plangenti mortem Absalonis, filii rebellis : *Diligis odientis te et odio habes diligentes te*. David enim in periculoso illo prælio quod cum filio gerebat, solummodo sollicitus erat de vita, et salute Absalonis ; cum tamen ejus

victoria et vita, si a parte Absalonis stetisset, fuisset exitium Davidis. Sed nimirum uti mater prius succurrit filius afflictis, quam bene habentibus aut sibi ; ita etiam Christus.

Secundo. ratione temporis. Non enim antequam ignoscamus aut beneficemus iis, qui nos læserunt, expectamus aliquantum donec lædere desierint, et ira nostra defervescat : in recenti læsione nemo facile ignoscit. Sed non ita Christus, qui eo ipso tempore, quo a populo, principibus et pontificibus illudebatur, irridebatur, et audiebat : *Vah qui destruis templum Dei. Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce. Alios salvos fecit, etc.* quo item milites ipso inspectante super ejus vestes mittebant sortem : eo inquam tempore, quo dolor erat acerbissimus et offensio gravissima, aperiens os suum Dominus orat pro illis Patrem. *Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis*, inquit Lucas : quasi ad illa Joannis verba : *Et milites quidem hoc fecerunt*, respondet : *Jesus autem, etc.* Novam hanc et miram orandi occasionem esse orandi pro inimicis, ostenditur ex viris sanctissimis, qui in persecutores suos vindictam numinis petierunt. Nonne Elias quinquaginta viris sibi illudentibus et dicentibus ut descenderet de monte, respondit : *Descendat ignis de cœlo et devoret te et quinquaginta tuos* ? IV. Reg. I. Nonne Elisæus illudentibus sibi pueris maledixit ; et mox duo egressi viri de saltu devorarunt illos ? IV. Regum II. Nonne Zacharias dum interficeretur a Joas, dixit : *Videat Dominus et requirat* ? II. Par. XXIV. Sane quidem æquissimum videbatur ut vindictam quoque peteret Christus, vel ipse exerceret in perditissimos homicidas suos, aut ignis de cœlo descenderet, ut terra dehisceret, etc. dum adeo immaniter in innocentem sæviunt. Sed novo vindictæ genere pugnat in hostes suos : *Pater, dimitte illis*. Vult enim salvos fieri : et hic novus quidam ignis est de cœlo in hostes missus, ignis charitatis. Et licet ipsi reluctarentur et obisterent, quominus ipsis Christus opitulari posset, nihilominus Christus quo potuit modo, salutem eis offerebat. Omnia membra omnesque sensus ejus erant præpediti, distracti et extensi in cruce. Non poterat jam extendere super eos vestem, qua eum spoliarent : non extendere manus, quas ei affixerant, sola lingua erat liber ; qua et orat pro inimicis. Currebant nimirum isti ad infernum, laborabat Christus ut eos retineret et Patri suo conciliaret ; quo modo Cynægyrus ille Atheniensis apud Sabel. I. IV. qui Marathoniam pugna cum palantes Medos ad naves compulisset, navem hostibus onustam dextra manu tenuit, qua hostium ferro amputata, læva remorare conatus est. Cum et hanc hostilis gladius

truncasset, tum ille ob duplicem cladem nihilo remissior factus, mordicus navem tenuit, et ceu fera quædam rabida dentibus dimicavit, quando alia vi non potuit. Eodem modo Dominus primo quidem dextera sua conatus est retinere Judæos, ne ad inferos descenderent, dum ea innumeros curavit languidos, suscitavit mortuos, pavit esurientes, etc. Cum hinc non moverentur, sinistram adhibuit, flagellando eos et ejiendo e templo, arguendo et prosternendo in Oliveto. Sed cum et hoc contemnerent, denique ore suo mansuetissimo orat nunc pro illis, ut vel hac, qua jam sola potuit ratione eos retineret ab exitio. Pulcherrime S. Augustinus, serm. IX. de verbis apost. « Homines, inquit, desperate ægrotabant et ipsa ægritudine, qua mentes perdididerant, etiam medicum cædebant, quin et occidebant. Ille autem etiam cum occideretur, medicus erat. Vapulabat et curabat, patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum, tenebatur, alligabatur, percutiebatur, irridebatur, suspendebatur, et medicus erat ; agnoscis phreneticum, agnosce et medicum. Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæviabant, et medici sanguinem sæviendo fundebant ; ille autem et de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat. »

Tertio, ratione fervoris, dum Patrem appellat et paterni sui affectus admonet (eodem scilicet fervore, quo postea pro seipso oravit : *Pater, in manus tuas, etc.*) quo facilius eum flectat ad misericordiam. *Pater, dimitte illis*, q. d. memento te esse Patrem, non meum tantum naturalem, sed et istorum modo aliquo ; monstra nunc te illis non Dominum, non Deum, non judicem, sed Patrem ; siquidem ad tanta scelera condonanda, paterna benignitate opus est. Mihi ergo Filio tuo dona hanc offensam. Atque ut efficacius permoveat, ita loquitur, quasi ipse injuriam sibi illatam jam dimiserit, vel quatenus ipsi illata erat, pro nihilo aestimaret : suo itaque exemplo, dum suam injuriam condonat, qui immediate læsus, provocat Patrem, ut et ipse ignoscat. q. d. ego in quem proxime peccarunt, totum eis remitto : remitte et tu Pater, et in quem remotius delinquant.

Quarto, ratione allegationis. Excusat enim quantum potest scelera eorum : *Non enim sciunt, quid faciunt*, inquit. Excusare certe non poterat Pilati injustitiam, militum crudelitatem, pontificum invidiam, populi ingratitude. Hoc ergo solum restabat, ut excusaret ignorantiam, quæ quidem invincibilis non erat ; (poterant enim ac debebant Dominum novisse esse Messiam et Dei Filium saltem doctiores : innocentem vero esse

U. A. N. L.



omnes) erat tamen affectata partim, ut in pontificibus, partim crassa, ut in populo (*omnis enim peccans est ignorans*) culpabilis proinde, velut si quis ex alto semetipsum præcipitare volens, prius claudat oculos, aut claudi sibi patiat. Excusat igitur imprimis milites crucifixo, qui forte ipsum non agnoverunt. Deinde peccatores omnes qui quovis modo peccatis suis causa mortis ei fuerunt: *Qui omnes nesciunt quid faciunt*, id est, non cogitant, nec advertunt, quam graviter delinquant, quantum Dominum offendant, in quanta mala se præcipitent. Denique etiam eos, qui ipsum Messiam vel innocentem esse sciebant, ita excusat, ut ostendant quam libenter arriperet meliorem excusandi rationem, si qua esset; nullam vero esse nisi aliqualem ignorantiam.

Quinto, ratione efficacæ, nam apostolo teste ad Hebr. V. *Exauditus est pro sua reverentia*. Exauditus primo, quoad penæ dilationem saltem usque ad annos triginta octo obsidionis, quod indicaverat Dominus, Lucæ XVII. in parabola ficus sterilis, jamjam exscindendæ, cum diceret: *Domine, dimitte illam et hoc anno usque dum fodiam circum illam, etc.* Fodit enim circum illam per obsidionem Titi, qui murum in circuitu Jerosolymæ extruxit. Videbatur sane Deus Pater in passione Filii jam securim ad radicem ponere ut exscinderet Judæos; jam elevare manum ut prosterneret eos, dum solem et elementa commovit, et quodammodo armavit ad perdendos illos; sed oratione Christi dilata est hujus iræ executio et datum illis penitentiae tempus. Deinde quoad culpæ dimissionem, ita exaudita est oratio Christi, ut specialem gratiam omnibus impetravit, qua omnes, si voluissent, facile respiscere potuissent. Tales gratiæ erant, mirifica et penetrantissima Christi verba, prodigia, etc. quibus conversus est bonus latro, centurio, spectatores, qui percutientes pectora sua reversi sunt, et qui paulo post baptizati sunt, ad tria millia.

Unde patet quod apostolus ad Hebr. XII. ait, quanto melius clamet aspersio sanguinis Christi, quam Abel; hujus enim sanguinis clamabat, vindicta; Christi vero misericordia.

II. Porro fructus hujus primi verbi, multi sunt. Primo, discimus hinc supereminentem scientiæ charitatem Christi: qui tantis circumdatus tormentis, tot injuriis lacessitus, non obliviscitur inimicorum suorum, sed quasi sui oblitus de his solis cogitat. Nos certe cum gravi aliquo dolore cruciamur, ita in illo occupamur et abripimur, ut de aliis rebus, præsertim ad nos non pertinentibus, nihil cogitare possimus. Christus autem coronam spineam in capite gerens, et ma-

nibus pedibusque confixus, non de sua, sed inimicorum suorum salute sollicitus est. Sed nimirum hi ipsi clavi et hi dolores ipsum admonebant, ut ne inimicorum suorum oblivisceretur, sed veniam eis impetraret; propterea enim patiebatur, ut peccatores salvos faceret. Optime igitur per Isaiam, c. XLIX. dixit: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Clavi igitur penæ erant, quibus insculpti erant peccatores manus Salvatoris; quæ dum illum in cruce torquebant, supplicium admonebant inimicis ferendarum. En quam vere de ipso scriptum est, Cant. III. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Fuit enim Christus in his dolorum fluctibus quasi scopulus in mari, undique concussus, sed immotus semper. Et manet etiamnum immotus usque ad iudicii diem: siquidem innumeris appetitus sceleribus, semper se paratum exhibet ad ignoscendum et differt punitionem.

Secundo, discimus condonare injurias, si enim Deus ignovit et creator, non ignoscat creatura? Quid porro nos excusationis obtendemus? Primo: Nobilis sum, inquis, et honorem meum tueri debeo. Sed num nobilior Christo Dei Filio? Secundo: Perditissimus homo est, inquis, nec dignus cui reconcilietur aut benefaciam. At quam perditissimi erant milites Christo illudentes? Quam malitiosi pontifices? Aliud est vitium in homine, aliud persona vitiosa; illud odiendum, hæc diligenda est; propter illud eis condolendum et pro eis orandum. Tertio: Sed ignoscendum est, inquis, tempore suo, cum scilicet recesserit memoria acceptæ injuriæ et animus a perturbatione conquieverit. Sed nonne Dominus illo ipso tempore, quo sanguis ejus ebulliebat e recentibus vulneribus, quo aures adhuc tinniebant contumeliis et opprobriis, quo nares adhuc fœtebant sputis, manus pedesque distendebantur clavis, nonne eo ipso tempore, inquam, dicebat: Pater dimitte illis? Vide magistrum et doctorem longe diversum a Scribis et Phariseis, qui sedentes super cathedram Moysis dicebant, sed non faciebant, Matth. XXIII. Ipse autem sedens in cathedra crucis, quod docuit, id fecit. Docuerat enim: *Si offers munus tuum ad altare et recordatus ibi fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.* In cruce Christus oblaturus erat Patri munus præstantissimum, seipsum scilicet hostiam pro peccato; priusquam vero id offerat, reconciliatur quantum in se est, inimicis suis, dum pro illis etiam orat. Quarto, sed adhuc

instabis: Si redderemus pro malo bonum, insolescerent hostes nostri et deteriores semper fierent. Atqui oratio Christi aliud ostendit; inde enim latro conversus, centurio credidit, spectatores compuncti sunt. Hac enim sua oratione congressit Dominus carbones super capita eorum, carbones inquam charitatis, ut incalescerent amore, qui frigeant odio. Quinto, denique objicies: Inusitatum, imo inde præsumptum est apud homines, non ulcisci injurias vel compensare beneficiis. Sed num tu iudicium præsumendi præfers Christo? Quid oberit tibi, si mundus te condemnet, dum Christus absolvit et laudat? Si alicujus discipuli sermone explodant condiscipuli, solus vero magister laudet; num ille discipulos curabit? Christus in crucis cathedra docet ipso opere, quod olim docuit verbo: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus vos.* Quid tu curas mundum, qui magister et iudex tuus non est? *Quis accusabit adversus electos Dei?* inquit apostolus ad Rom. VIII. *Deus, qui justificat. Quis est qui condemnet?*

Tertio, discimus excusare aliorum peccata quantum fieri potest, etiam quæ vix excusari queunt. Placet enim patri cum quis excusat delicta filiorum ejus. Sic placuit Theocutis Davidi, cum pro Absalonis ejecti revocatione peroravit, et facile eam obtinuit, II. Reg. XIV. Sic Deus non vult mortem peccatoris: non ergo libenter audit eos accusari et reprobari. Certe Christus non tantum militum et Judæorum scelus extenuavit, sed etiam ipsius Judæ malitiosissimam proditorem. Quod enim Psal. XL. secundum translationem Septuaginta interpretum de Juda prædicitur: *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*, id est, mirifice me supplantavit, Christum, videlicet. Id Christus ex Hebræo, mitiori sensu citavit Joan. XIII. scilicet: *Levabit contra me calcaneum.* Nos aliorum errores magnificamus, nostros extenuamus.

Quarto, discimus magnam in Christum habere confidentiam, tametsi graviter deliquimus et inimici Dei facti sumus; siquidem ipse Christus est peccatorum advocatus, licet alioquin etiam pars læsa sit et iudex. Quod enim peccatum non inveniet advocatum Christum, si hoc gravissimum inveniet? Sunt aliquæ causæ litigantium tam perditæ, ut nullum inveniant advocatum. Sed nulla est causa tam perditæ, quæ non inveniat advocatum Christum. Et quid porro exhibebit amicis, sitalem se advocatum præbuit inimicis? Ipse ergo hoc verbo velut Aaron constituit se inter vivos et mortuos et Dei placavit iram. Ipse velut summus pontifex, omnes peccatores in hoc suo quasi

*Memento inclusit. Unde non dixit: Dimitte occisoribus meis, sed: Dimitte illis: omnibus videlicet, qui quocumque modo me offendunt. Itaque gratiam sufficientem ad conversionem impetravit omnibus peccatoribus. Quod vero non omnes a peccatis resipuerint et respiscant, sed in obstinatione sua pereant, id sibi adscribere debent, quod obicem gratiæ ponant, et hac trahente prorsum, ipsi eant retrorsum. Quid enim si Christus pro te Patrem oret, tu vero blasphemias et orantem non adjuves sed repellas? Juvenis quidam in vitis patrum carnalibus vexatus tentationibus, petiit orationem sancti cujusdam abbatis, quo tamen quotidie pro eo orante, juvenis non fuit liberatus. Oravit igitur abbas, ut causam ejus rei cognosceret, qui post in visione vidit, juvenem cum dæmonibus multis mulierum specie apparentibus colludentem eoque lusu delectantem, licet assistens bonus angelus eum retrahere laboraret. Intellexit ergo abbas negligentiam juvenis esse in causa, quam hoc pacto correxit. Duxit secum juvenem, jubens ut una secum oneraret asinum cespitem in urbe vendendo, et se quidem oneratum corbem dextrum, is vero oneraret sinistrum. Dum igitur juvenis corbem suum impleret, abbas suo nihil ingerebat. Itaque sarcina ex parte juvenis prægravata decidebat; et toties quidem, quoties reponebatur a juvene. Causam tandem intelligens juvenis, monet patrem, ut et ipse simul suum replet corbem, alioqui se frustra laboraturum. Cui abbas: *Sic et ego pro te frustra laboravi, quia tu orantem non juvisti. Mecum igitur labora ut tentationem vincas.**

Discimus ante mortem præsertim prius ignoscere inimicis et reconciliari illis, ne alioquin et nos retineamur velut debitores, qui debita retinemus. Sic enim litteras Uriæ nobiscum feremus in nostrammet perniciem. Hinc S. Jacobus e pinna templi dejectus, jamjam moriturus iisdem verbis pro occisoribus oravit, quibus Christus. Sic Sanctus Stephanus sub lapidibus; sic S. Polycarpus quærentes se ad necem hilari vultu et convivio excepit, posteaque cum illis ad supplicii locum perexit, Euseb. libro IV. c. XIV. S. Cyprianus carnifici suo viginti aureos legavit, ut in actis passionis ejus. Contra eum ignoscere nollet Sapricius presbyter Nicephoro veniam obnixè petenti, martyrio proximus et jamjam palmam accepturus, fidem abnegavit; Nicephorus coronam ejus accepit, in vita Nicephori apud Sur.